Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41510
Copyright: Melk, Benediktinerstift

transfixi ad ignem urebant. alij metallis liquefactis
decurtabant / Super quos tamen omnes demones transcurren-
tes flagris cedebant Omnia tormentorum genera que ex-
cogitari possunt ibidem visa sunt Ibi eciam vidit
quosdam de suis quondam socijs. et eos bene agnovit
Eiulatus et clamores miserorum quos audivit
nulla lingua dicere sufficiat Campus ille sicut et
alij plenus erat non solum cruciatibus hominum / sed eciam
cruciatibus demonum Cumque vellent demones ibi
torquere militem / invocato nomine domini nostri ihesu christi ille-
sus discessit Cumque transissent inde / apparuit ante
eos rota ignea mire magnitudinis. cuius radij
et canti uncis igneis erant undique pleni. in quibus
omnibus pendebant homines fixi Medietas huius ro-
te stabat sursum in aere. alia medietas mergebat
in terram deorsum. flamma vero incendij et sulphurei sur- alterius
gebat de terra circa rotam / et torrebat miserrime in
ipsa rota pendentes Ibi demones ad militem dixere
Tormenta que isti sustinent tu quoque sustinebis / in rota
volucris Cumque iactassent demones militem super ro-
tam / et rotando elevassent in aerem / invocato
christi nomine descendit illesus Procedentes inde cum mili-
te demones / traxerunt eum versus unam domum hor-
ribiliter fumigantem. cuius latitudo nimia fuit. lon-
gitudo eciam erat tanta / ut finis illius videri non posset
Cum autem adhuc longius essent / pre nimio calore
qui inde veniebat substitit miles / timens procedere